EQUITIS POLONI EXAMEN LITERARUM,

Quas

Excellentissimus

GALLIÆ LEGATUS,

ABBAS POLIGNIACUS,

Ad


Reverendissimum

EPISCOPUM CUJAVIENSEM

dedit.

Anno 1697.





Regnum, res inter DEOS hominesque est pulcherrima: & cupido regnandi, mortalibus insita, cunctis affectibus flagrantior semper fuit. Orbata non ita pridem Rege ac Rectore Inclyta Respub. nostra quid mirum, si ubivis gentium multos habeat inveniatq; procos? Sed pleriq; horum tacitis hactenus seu secretis votis, modestè aut prudenter Viduatam ambiunt; Apertò magis an temerario ausu Orator Gallicus inter primos ob amissum Regem luctus, madentem adhuc lachrymis Rempub. ad nova sollicitat Vota, & spes ac desideria Candidati sui Principis Borbonii de Conty, Pararii sceptri Polonici, Senatorio ac Equestri Ordini, exponit. Quæris causam? alia esse non potest, quàm ut perstrictæ promissorum magnitudine mentes alios Candidatos nec quærant nec admittant. Commendationes Exterorum in ipsis Comitiis Electoralibus pondus habent & suô æstimantur pretiô; ante Electionem lædunt liberæ Electionis jura, apud eos, qui eligendô Optimum quærunt, & quorum ut integrum ac incorruptum judicium, ita amor in Rempublicam summus. Sed cum de fatô Reipub. agatur, & ab Electione futurâ salus atque incolumitas ejusdem pendeat, liberum sit Equiti Polono, cui libera de Repub. Vox competit, rationum, quas pro Candidatô suô adfert Orator, momenta expendere, sine irâ & studio, cum & Virtutes Borbonii & Oratoris dignitatem revereat, sôlô in Rempub. amore innatô ac visceribus inhærente, pro quâ vitam ac sanguinem profundere mihi dulcissimum foret.

1.

Primum igitur Oratoris pro Borboniô eligendô argumentum est, quod omnibus Virtutibus, Rege dignis præditus, quod sit magnanimus, bellicosus, sapiens, liberalis, affabilis &c. nec præstantiorem invenire Regem Respub. possit.

2.

Alterum: Quod Rex è Gente Gallicâ, cæteris omnibus præferendus Candidatis, à quô nullum libertati periculum, cum non habeat à Vicinis Principibus auxilium, nec asylum inveniat in aulis sibi sanguine junctis, nimis remotô Galliæ Rege, ut juvare possit.

3. Ter-

3.

Tertium: Quod maximum immineat Reipub. periculum, ab Austriacô seu Austriacis addicto: Cùm Cæsar Vicinus semper nocere possit.

4.

Quartum: Quod ingentia & largissima Reipub. commoda offerat Borbonius, qualia sunt: summa plurium millionum in numeratâ pecuniâ ad satisfactionem exercitui fœderato debitam: Expugnatio Camenieci propriis sumtibus ante coronationem: Restauratio monetæ, rei frumentariæ, commercii Gedanensis: Nulla profuturâ Reginâ Reformatio: Aliaq; benè multa, quæ suo tempore manifestabuntur.

Agedùm, excutiamus singula suô ordine.

I.

Borbonius de Conty omnibus Virtutibus Rege dignis præditus, est magnanimus, bellicosus, sapiens, liberalis, affabilis, nec præstantiorem invenire Regem Respub. potest:

Nullus hîc invidiæ aut malevolentiæ locus esto, Virtus ubivis æstimanda, nec suis fraudandus meritis Borbonius, quibus inclaruit: At comparatio odiosa, Virtutem uni itâ adstruere, ut aliis negetur, malignitate non caret. Non ita sterilis est virtutum Orbis Christianus, ut illæ Uni addictæ sint Genti, Unius hereditas ac possessio familiæ. Si Civiles spectentur virtutes, magnanimitas, prudentia, liberalitas, affabilitas, &c. complures habebit pares Borbonius; si militares, multos etiam superiores, qui magnorum exercituum non minùs, quàm multarum palmarum Duces, nomen suum versus orientem ac occidentem solem clarum victoriis reddiderunt, & inprimis de sævô ac æternô Christiani nominis pariter ac Poloni Hoste sæpiùs jam triumphârunt. Quid quod Romanæ fata Reipub. nos admoneant, nimias virtutes libertati extimescendas esse, nec Cæsarem solum ambitioni ac Imperio litâsse.

II.

Rex è Gente Gallicâ cæteris omnibus præferendus Candidatis, à quô nullum libertati periculum, cum non habeat à Vicinis Principibus auxilium, nec asylum inveniat in aulis sibi sanguine junctis, nimis remotô Galliæ Rege, ut juvare possit.

Verborum hîc effundit flumen Orator, veritatis ne guttâ quidem admixtâ: Quid si, hâc adnitente, invertamus argumentum: à Nemine ullô majus imminere libertati Poloniæ periculum, imò

certius Reipub. exitium, quàm à Rege è Gallicâ Gente sumptô. Ne ità Nos stolidos esse, & truncos & stipites arbitretur, ut ignoremus, non tantô disjungi spatiô cœlum à terris, quantô differunt Gentis Gallicæ instituta, mores, regnandi forma, à suetô Polonis Regimine. Gloriatur Gallorum Gens, Uni se Regi suo ità subjectam esse, ut Vita, fortunæ, status, dignitas, & quicquid earum mortales habent, ab ipsius nudô ac legibus solutô pendeant arbitriô. Voluntas ac jussus Regis suprema ibi lex est, & si quis Regiæ Voci: *Tel est nôtre plaisir*, obstrepere vellet, etiamsi legum ac omnis juris auxiliô stipatus esset, protinùs Majestatis damnaretur. Hôc institutô nascuntur liberi, hôc imbuuntur grandiores, id adeò fixum ac immotum inhæret animis, ut ad exteros etiam, si patriô excedant solô, illud transferant, ridentes aut stupentes aliorum libertatem: Nec enim, id proprium Genti suæ vindicant, vellent ad hanc normam omnes reliquas regi Gentes, id quod scriptores Gallici luculenter testantur, qui ne juratum quidem Regem ad ulla Pacta conventa teneri asserunt, nisi quæ suis ac Regni rebus expedire censeat. Quî, quæso, hæc congruent libertati nostræ, quæ vitâ Nobis carior esse debet? quî legibus ac Institutis patriis? Cultu ac veneratione in Reges nostros nulli cedimus Genti; sed quod à Majoribus, Divinis Viris, accepimus institutum: Regem non arbitriô suô, sed ex præscriptô legum regnare debere; hoc sacrum æternum ac Palladii instar servandum Nobis erit. Est Regem inter & Rempub. mutuus nexus, legum vinculô adstrictus, quô salus Utriusque ac incolumitas stat & libratur. Non potest Rex jura, quæ vocant, Majestatis exercere, nisi consentiente Repub. non bellum aut pacem decernere, non fœdera pangere, non leges ferre, Comitiorum hoc opus est, in quibus libera dominatur Vox. At quî hæc Gallicis convenient moribus? quî conciliabitur tribunitium illud Unius Equitis Poloni: INTERCEDO, cum despoticô istô Gallorum: TEL EST NOTRE PLAISIR? Sanè experientiâ constat, Gallos, si quando Comitiis nostris interfuerunt, stupore defixos hæsisse, quasi in alium terrarum orbem delati essent. At inquies, non hoc à Borboniô timendum, qui non regnare sed parére adsuetus in Galliis, facile legum ac juramenti vinculis coërcebitur. Non regnavit, fateor, sed adstitit regnanti, ex Regiâ stirpe ortus, patriis imbutus institutis, altos ac regios gerens spiritus, an æquô animô legibus se subjici? an juramentis, puerorum ut putant astragalis ac crepundiis, vinciri se feret? Natura mortalium avida Imperii est, nec jura aut pacta curat regnandi dira libido. Quod si pudor, pietas

ac

ac fides ipſum continerent Principem, quid Comites aut Hoſpites Ejus Gallos, Patriis infectos moribus, facturos putas? an illi ſe ac cupiditates ſuas legibus circumſcribi ac coërceri patientur? quin perpetuis ſtimulis ad vindicandam regiam dignitatem, præcipitem Regem agant? Salutis publicæ intereſſe, omnem poteſtatem ad unum conferri, nec diſcordantis Reipub. aliud remedium, quàm ſi ab unô regatur. Hos metus non eſſe vanos, ſuperioris & noſtri ævi exempla luculenter demonſtrant. Avorum noſtrorum memoriâ Henrico Valeſio percommoda accidit mors Caroli fratris; Conſtat enim ex ſcriptoribus Gallicis, illum ſtatim ab ingreſſu Regni de mutandô ejusdem ſtatu & libertate evertendâ conſilia agitâſſe. Cui vix annum regnanti tantum cepit Gentis noſtræ faſtidium ac odium, ut nec commeatu petito, nec vale dictô, celere ac turpi fugâ ab eâdem, tanquam ab Hoſte ſe proriperet. Hæc nos terrere debent veſtigia. Alenconius, frater ejusdem, incredibili ſtudiô ac amore à Belgis petitus ac exceptus, vix provinciam ingreſſus fuit, cum ſervitutem liberæ Genti moliretur, in ipsô conatu intra munimenta Antvverpienſia oppreſſus. Patrum noſtrorum memoriâ Guiſius iisdem conſiliis ac artibus Regnô excidit Neapolitanô. Sed quid remotiora à temporibus noſtris curamus, occurrunt quæ ipſi vidimus ac experti ſumus. Regem Angliæ Jacobum non modernus Rex Gvilielmus, non Gens Anglica de thronô deturbârunt, ſed fœdera ac conſilia Gallica, quæ illum ad ſummum ac legibus ſolutum arbitrium extorquendum à Gente, in quâ, ut apud Nos, Regum poteſtas legibus circumſcripta eſt, acerrimè inſtigârunt. Hæc ſunt, hæc ſola ſunt, quæ Jacobum ex Rege Magnô & Ipſi Galliæ formidandô, Exulem & Nutritium Regis Galliarum fecerunt. O felicem Rempublicam noſtram, quam aliena pericula cautam reddunt. Sed ut ad Polonos meos redeam, Talis Nobis quærendus Rex, qui non dominationem & ſervos, ſed Rectorem & Cives cogitet, quem ſubditi non timeant, ſed pro quô. Ecquis Noſtrûm eſt, qui ignoret, fontem ac originem omnium in Repub. calamitatum unis deberi conſiliis Gallicis. Ex quô tempore de Caſimiri orbitate conſtitit, ad hanc usque ætatem noſtram, bone DEUS! quas machinationes, quos ambitus, quæ ſuſpicionum ac diſcordiarum ſemina ſparſa, quas confœderationes exercituum, quæ rupta comitia non vidimus? filius in Patrem, uxor in maritum, frater in fratrem concitatus; nihil integrum, nihil ſanctum, non pudor, non cura juris; ſanctitas, pietas, fides, omnia ſusque déque habita, modò Rex Gallicus rerum in Poloniâ potiretur, aut Gens Polona

ad nutum & consilia Gallorum regeretur. Et ne hæc ad invidiam efficta putentur, testor conscientiam vestram Patriæ Lumina ac Columina, Senatores! testor vestram, fratres Charissimi optimi ex equestri Ordine! Non omnia in lucem proferenda, obtegantur, quæ gesta sunt, pectorum secretô, ne vulnera recrudescant, sed post tot enata malorum semina, hoc unum velim proveniat bonum, ut icti sapiamus, & scopulos detectos vitemus. Nec dissimulare hæc potuit Orator Gallicus, quin culpam omnem rejecerit in muliebria consilia ac artes. Ludovica Regina ex Italâ ipsi Gente, non Gallicâ, orta; Maria Vidua Regina Austriacis consiliis, post Matrimonium cum Neoburgicâ, abrepta: Sed an Itala censenda, quæ in Galliis nata ac educata, non Italum Principem, sed Condæum mariti successorem voluit, ob Condæum tot turbas dedit, in Condæum tot Poloniæ Regum hereditatem transtulit, ac Rempub. suô spoliavit thesaurô; Et unde hæc muliebria consilia, nisi ex Luparensi aut Versaliensi arce? in cujus gratiam, nisi in Regis Galliarum? Sed commiseratione inprimis digna Regina Vidua, hæc ob Gallica consilia, quibus abripi se passa est, odiô apud Gentem nostram acerrimô flagrat. Nunc à Gallicô Oratore, cujus ductu & impulsu omnia gessit, accusatur, & publicæ Gentis nostræ vindictæ exponitur. Quid hoc est rei, an ità citò excidit memoriâ conjunctio illa arctissima, quam nos Omnes Reginam inter & Oratorem conspeximus? Ille intimæ admissionis, arcanorum arbiter, consiliorum svasor, rerum omnium Moderator hanc Reginæ afflictæ rependit gratiam, ut non tantùm quam paulò ante adulatòriè sectatus erat, deserat, opis indigam, consilii inopem, sed & prodat ac oppugnet. Ubi verecunda beneficiorum recordatio? Ubi jura amicitiæ ac gratitudinis? hausit & absorbsit ea Gallicæ Prudentiæ Idolum Utilitas sive Interesse: Si violandum est jus, regnandi causâ violandum: Ut Borbonius regnet, Regina, quæ filiis & Genero non potest non favere, spe ac votô dejicienda, odio ac vindictæ exponenda. Hic exitus manet Gallicas amicitias!

Sed præsens rerum ac temporum status aliam suggerit curam haud levis momenti. Europeæ Gentes penè omnes fœdere ac bellô junctæ sunt adversus Gallos & Turcas, nam & inter hos solos belli ac fœderum societas est. Ipsa Respub. nostra, parario summô Pontifice, sacro fœderi adversus Christiani Nominis Hostem, Galliæ fœderatum, nomen dedit, idque non unô aut simplici jurejurandô firmavit. Quid si Regem sumimus Gallum, anne versâ fide ac fortunâ ex fœderatis ac Amicis Christianis, Hostes; ex Hostibus Turcis ac Tartaris, fœderatos

tos ac Amicos faciemus? Quæ turpis hæc erit metamorphosis? quàm indigna nomine Polonô res; quæ ipsi Russorum Magno Duci bilem movit, qui minitatus dicitur bellum Polonis, si Gallum eligant. Nec nova sunt, aut fidem excedunt, quæ adfero. Vivente adhuc ac Regnante Rege Joh. quot artibus, quot largitionibus tentatum, ut sacro fœderi renunciaretur, ut fides jurata violaretur, ut nomini Polono æterna inureretur ignominia: Cum hoc effici non posset detestantibus tantū scelus, quotquot decoris ac fidei amantes erant, hoc tamen Gallicis artibus ac consiliis effectum est, ut per complures annos nihil memoratu dignum contra sævum Hostem actum sit, non exercitus instructi, non commeatus, non res tormentaria, non reliqua ad bellum necessaria curata; Imò ne injuriæ quidem Barbarorum ac prædæ à Nobis actæ ad vindictam nos excitare potuerunt. Nimirum intererat Galliæ, armis Polonorum non distrahi Vires Ottomannicas, nec impediri, quò minus ingentes exercitus in Hungariam adversus Imperatorem duci possent. Ipsi testes ac conscii sumus, Emissarios Gallicos in mediâ hæsisse Poloniâ, qui cum Tœckeliô, Turcis, Tartaris, quibuscum Nobis atrocissimum est bellum, commercia haberent, consilia sociarent, pecunias ad faciendum bellum exsolverent. Hæc acta vivente ac regnante Joanne Rege, qui tamen, si sibi relinquebatur, decoris Poloni haud erat negligens: Quid futurum putatis, si Borbonius ad Regni gubernacula admoveatur, an fœderatos Galliæ Turcas ac Tartaros Hostes nostros reputabimus, an cum iisdem bellum geremus? an Podoliam an Ukrainam, opima ac antiqua Reipub. patrimonia recuperabimus? Imò quorum generosa pectora hactenus ante-muralia audiebant Orbis Christiani, ii in posterum beneficiarii aut obnoxii Turcis ac Tartaris reputabuntur. Sed missis Barbaris convertamus mentis ac oculorum aciem ad Vicinos ac fœderatos, Imperatorem, & Electorem Brandenburgicum, hi Hostes Galliæ declarati, etiam nostri erunt Hostes, nec vicinitatis, nec fœderum jura, nec salus ac securitas Reip. prohibere poterunt, quò minus amicô ac fœderatô sanguine manus nostras imbuamus.

At, inquit Orator: pervenimus ad limen pacis universalis in Europâ Christianâ concludendæ, quam fortasse DEUS dabit ante Electionem. Quid tùm? pace inter Christianos Principes conciliatâ, an eô ipsô conciliabitur Ratio, quam vocant, status singulorum, contraria, æterna, immutabilis, an mutuæ suspiciones, an metus cessabunt? Ne fallamur, statim atque Borbonium eligemus, Gallicum interesse, Gallica consilia scopus ac norma erunt nostrorum, & cum odia æterna

sint

ſint Auſtriacos inter ac Gallos, Nos qui liberi hactenus & immunes ab iisdem degimus, eadem in Nos tranferemus, qui cum Vicinis Auſtriacis, Svecis, Brandenburgicis læta ac fructuoſa exercemus commercia, eadem mutuis ſuſpicionibus ac metu turbabimus, & tandem ſi placet Galliæ, arma Vicinis inferemus, aut ab iis illata propulſabimus. Metus & terror infirma vincula ſecuritatis, & malè cum Repub. noſtrâ agetur, ſi his munimentis inſiſtere debeat. Sed cautionem fortè idoneam adfert Orator: ut nimirum per pacta conventa novi Regis præcaveatur, & ipſe juramentô obſtringatur ad obſervationem omnium tractatuum, fœderum & Pactorum, anteà initorum inter Prædeceſſores Reges & Rempub. & alios quoslibet Principes. Miſeros nos! quibus imponitur neceſſitas, pro cautione hâc aliam exigere cautionem. Quid Pacta, quid fœdera, quid ſacramenti relligio, ubi tot exemplis ac documentis Orbi terrarum innotuit, ea ulterius non ſtringere, quàm ad Aram uſque Divæ Utilitatis, huic cum litare non liceat niſi honeſtô everſô, protinus pacta & fœdera utcunque jurata violantur:

- - - - Sanctitas, pietas, fides,
Privata bona ſunt; quà juvat, Reges eant.

Senſit hôc Orator, hinc ipſe objectioni huic occurrit, & cautionem cautioni addit: Timendum hoc ab Auſtriacô Vicino, qui nocere poſſit, non à Gallicô Principe, cui in viciniâ non copiæ aut adfinitates, remotô etiam nimis Galliarum Rege, ut nocere poſſit. Hoc Achyllæum ipſius argumentum; Sed infelicem Rempub. ſi ſalus ac incolumitas ejus eidem inniti debeat. Anne idem terrarum ſpatium per tot annorum, imò ſeculorum decurſum Nos à Galliâ ſejunxit? & tamen Gallicæ artes, Gallica Conſilia, Gallicæ largitiones ac corruptiones in Regum Polonorum Aulis, in ipſis liberæ Gentis Comitiis regnârunt: Quid quod non ſemel Confœderationes exercituum, copias ære Gallicô auctoratas ac merentes in ipſis Reipub. viſceribus conſpexerimus. Non inſulsè quidam, nullum eſſe munimentum inexpugnabile, ad quod aſinus aurô onuſtus penetrare poſſit. An exercitus, an milites, an rei bellicæ apparatus ei deeſſe poſſunt, qui aurum numerat? Si Regis Galliæ interſit, turbari & bellô impeti Vicinos Poloniæ, an aurum deerit? an aggreſſor Rex Polonus è Gente Gallicâ? Quas non hæ artes turbas in Comitiis noſtris excitabunt, quot non videbimus ſtrictos bonorum & pro libertate rejiciendôque jugô certantium acinaces in hoſtem potiùs dirigendos, quam in improbos patriæ proditores, quos Gallia ſuis ſibi artibus aut ære comparaverit; Taceo comitia rupta, proceres in partes & factiones ſciſſos, commodà

Rei pub.

Reipub. neglecta, & Nos ludibrio omnium gentium expositos, qui Nos ad nutum externæ potentiæ duci ac ludi cum dispendiô famæ nostræ ridebunt aut dolebunt, Quid de Tartarorum incursionibus dicam, quos toties experta est Respub. Gallicô ære conductas; imò turpes hæ cum Barbaris pactiones adeò in consuetudinem abierunt, ut gloriam ac meritum inde aucupentur. Tulit nuper fama, vera an falsa, Gallicum Oratorem multa florenorum millia Tartaris obtulisse, ne incursionem facerent; eòque meritum Borbonio quærere voluisse, Indecora pactio, si vera est. Pectora & arma Polona non patriæ tantùm tuendæ causâ hosti toties obversa, sed etiam ipsi Cæsarum sedi à summô discrimine liberandæ innumeræ hostium multitudini fortiter objecta, imò Turcis Tartarisque, quoties apertô marte congredi datum, funesta, hæc inquam pectora, hæc arma nostra bellis & cædi hostium adsveta, ad propulsandos fœdissimos latrones, & nullâ aliâ re, nisi fugâ suâ ab internecione tutos sufficiunt, sed ut expediri possint, concordiâ opus est, hanc ne tentet aut turbet Orator, sed Nos arbitriô nostrô bellum gerere sinat, beneficii id locô habebimus. Pergamus ad reliqua.

III.

Maximum imminet Reipub. periculum ab Austriacô seu Austriacis addicto; Cùm Cæsar Vicinus semper nocere possit.

Explosa hæc sunt: semper fuêre certamina Austriacos inter Gallosque in Electionibus Regum nostrorum. Olim cum æquis adhuc viribus de Imperiô Orbis inter utrosque certaretur, non abs re hæc objiciebantur; At rerum status Patrum & nostrâ memoriâ valdè immutatus; Fortuna Gentium non amplius in æquilibriô posita, Gallorum potentia, & opes, tantùm nunc præponderant, ut formidanda olim Austriaca Gens, vix se sustinere ac Imperii tanti reliquias tueri possit. Si justus igitur à potentiore metus, à quô, nisi à Gallô, qui cùm omnium Gentium libertati insidietur, an nostram salvam ac intactam relinquet? Dum hæc scribo, gravissimus mentem turbat metus ex fatô imminente Hispaniarum Regi, hactenus improli. Heu! quot luctus, quot motus, quot turbas opima hæc dabit hereditas? Quid si eô tempore Gallum haberemus Regem, an illum spectatorem futurum credis? Nequicquam, gravius in Austriacos telum non potest torquere Rex Galliæ, nisi per manus Polonorum, & sic ipsi fabri erimus ac artifices jugi istius, quod cervicibus nostris post debellatos Austriacos imponetur. Sed vanum aut nullum esse hunc Oratoris ab Austriacis metum, vel inde liquet, quod ex Austriacâ Gente, ad paucos redactâ, nemo sit, qui

Regnum ambiat: Ab iis verò, quos Austriacis addictos vocat, non valdè metuendum sit; quamvis non abnuam è re ac securitate Reipub. esse nec Gallis, nec Austriacis obnoxium eligere.

IV.

Ingentia & largissima Reipub. Commoda offert Borbonius, qualia sunt: summa plurium millionum in numeratâ pecuniâ, ad satisfactionem exercitui fœderato debitam: Expugnatio Caminieci propriis sumtibus ante coronationem: Restauratio monetæ, rei frumentariæ, commercii Gedanensis: Nulla pro futurâ Reginâ Reformatio; Aliaque benè multa, quæ suô tempore manifestabuntur.

Laudo Candidatorum liberalitatem, odi largitiones, per has exhaustum ærarium, per scelera erit supplendum. Fateor larga ac magnifica esse promissa, sed quò majora, eò magis metuenda libertati nostræ. Unde tot milliones Borbonio, cujus annui reditus vix ducenta florenorum millia conficiunt. An prædia ac possessiones, quas in Galliâ habet, divendet? Sed unde liberis prospicietur, Patrimoniô illarum in Galliis consumptô. Dicis, Regnum Poloniæ ipsis quæri, in quod succedent. At quô tunc locô erit electio, caput ac fundamentum libertatis nostræ? Sed Rex Galliæ, cujus inexhaustum est ærarium, tot numerabit milliones; quid tùm? Si mutuò dabit, solventur aliquando cum usuris ex ærariô Polonicô, si gratis, non faciet hoc gratis; Libertas nostra est, quæ hôc sollicitatur aurô, idque vel ex eô clarè liquet, quod tanta auri summa non offeratur Reipub. sed exercitui confœderato, ut ad nutum Candidati agat. Justum est ut exercitui fœderato promerita exsolvantur stipendia, & exsolventur ipsi, ne obulô quidem, qui militibus debetur, reliquô; sed necessum est, ut id fiat absque periculô & dispendiô libertatis. Qualis qualis eligatur Rex, non erit adeò inops, ut ad summam debitam conficiendam non plurimùm conferre possit ac velit: Reliquum supplebit Respub. ut libertas, maximum bonum, ipsi salva sit. Nam per DEUM, quid hoc est, ut aurô putent emi posse Rempub., ut tentetur pecuniâ, quod virtute, quod liberis suffragiis effici debet? Itane venalia omnia in Gente Polonâ, ut comitia sanctissima turpiter vendantur, ut de Nobis dici possit:

Ad sonitum strepitumque auri suffragia vertunt.

JCti Romani ajunt: Corpus liberi hominis inæstimabile esse; An ergò Respub. æstimabitur, & pretiô aliquot millionum divendetur, tot liberi homines, Nobiles Poloni, ipsa libertas, omni aurô, imò vitâ ac sanguine carior, hastæ subjicietur? hanc si non poterit occu-

pare

pare emptor Rex, cum tanti emerit, pecuniâ majore vendet. Obsecro, fratres, consulamus libertati nostræ; status, fortuna, conservatio Reipub. posita est in comitiis Electoralibus, quæ libera, sancta, incorrupta esse debent, hæc si oppugnentur largitione, anne hoc est, Reipub. manus afferre, & deturbare Ordines suis sedibus?

Venio ad Camenecium, hujus expugnatio offertur ante coronationem. Dixi suprà, Gallicis artibus ac consiliis effectum esse, ut bellum cum Turcis ultimis his annis non majore gestum sit successu, quod si brachia ac arma Polonorum non fuissent impedita ac retenta, jamdiu Camenecii redditione Respub. gaudere ac frui posset. Sed esto, imponamus hanc conditionem futuro Regi, ut non priùs coronetur, quàm Camenecium recuperaverit, certus sum, quod non Borbonius tantùm, sed quivis alius eligendus ad illam adimplendam sese lubentissimè obstringere velit, & novi, qui nullô negotiô, imò certô successu, non tantùm Camenecum expugnaturus, sed simul Podoliam ac Ukrainam, maxima Reipub. Patrimonia recuperaturus sit, de quibus tamen Oratori Gallico altum silentium, scilicet ne nimia Turcis fœderatis auferantur.

Quæ adduntur de Restauratione monetæ, commercii Gedanensis, rei frumentariæ, de nullâ Reformatione pro futura Reginâ, non moror: Hæ conditiones cuivis Regi eligendo præscribi, & ab eôdem, fortè citiùs ac rectiùs quàm à Gallicô Candidatô, adimpleri poterunt.

Sed quò tendit vaga ista promissio? *& alia bene multa, quæ suô tempore manifestabuntur:* scilicet ut omnes largitione corrumpantur, spe lactentur, & incendantur cupiditatibus.

Habetis, fratres Carissimi, quæ ad literas Excellentissimi Legati Gallici monenda amor ac fides in patriam suggesserunt, & quæ sine dubiô Reverendissimus Præsul, ad quem exaratæ sunt, monuisset, nisi nota ejus modestia ac senatoria dignitas obstitissent; Omnia tamen judicio ac Censuræ optimæ patriæ submitto; Gnarus versari Nos in Repub. in quâ sanctum libertatis nomen neque vanum neque falsum hactenus est; Libertatis verò publicæ parens ac procreatrix concordia semper fuit, hanc summô commendo studiô, pro eâ, quâ in patriam feror, charitate; In unâ Concordiâ posita Reipub. salus ac fortuna. Dubitavi, anne de reliquis Candidatis sensus animi mei exprimerem, sed prohibuit modestia, nec de Borbonio scripsissem, nisi literæ Oratoris nimis confidenter ac ambitiosè scriptæ, & cura libertatis ad id me impulissent. Votum ac Vocem meam in futuris comitiis

mitiis Electoralibus reget amor in Patriam, quòd si nimis anxiè quæres, quem hodiè dignum sceptrô Polonicô & prô Repub. optimum censeam, non potero negare, aut Piastum illum esse, qui ulnis suis Patriam gestet, aut si æmulatio ac invidia externum quærant, non deerit Fulmen aliquod belli, Terror Turcarum ac Tartarorum, qui victricem ipsius dexteram experti sunt in Campis Hungariæ, Princeps maturus annis, & pacis non minùs quàm belli artibus clarus; in quô unô omnes concurrunt dotes ac Virtutes, quæ Magnum ac Optimum Regem formant, nullus à nimiâ potentiâ metus; amor unus in Rempub. nullâ aliâ distractus spe, nullis prætensionibus exteris, qui denique nec Gallis nec Austriacis obnoxius. Sed hæc Campo Electorali reserventur, in quô quid Senatus frequens, quid Nobilitas sub diô congregata, de fatis Reipub. Regem optimum eligendô, statuent, mihi sacrum ac sequendum erit.

FINIS.

